

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8506

Auteur(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1138, 21 mars

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, archevêque de Rouen, notifie la controverse survenue entre l'abbé du Pin et l'abbé de Mortemer et réglée devant lui. Il est décidé que l'abbé du Pin n'a plus de droit sur les moines de Mortemer.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century, its History and its Cartulary*, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », p. 165-168.

Texte d'après a

[H]ugo Dei miseratione Rothomagensis archiepiscopus omnibus sancte Rothomagensis ecclesie filiis tam presentibus quam futuris in finem. Frater Willelmus abbas de Pinu in audientia nostra questus est se gravari et iniuriam passum super ecclesia Bellimontis et ecclesia Mortuimaris et eiusdem Mortuimaris abbate fratre Alexandro. Sane diem a nobis diffiniende iusticie postulavit. Prefixa est dies, ventum est ad actionem. Ambo presentes fuerunt feria V post cineres coram archidiaconis nostris, coram abbatibus nostris et personis quampluribus Rothomagensis ecclesie. Dixit abbas Willelmus : « Alexander abbas monachus noster est nec ab illa professione quam nobis in ecclesia de Pinu fecit, a nobis aliquo tempore absolutus est. Porro ecclesiam Bellimontis et ecclesiam Mortuimaris que nostre erant, illi tanquam proprio commisimus monacho. Nunc vero quia et se et predictas ecclesias nobis subtraxit et ad monachos alterius ordinis ipse cum abbazia Mortuimaris sine licentia nostra translatus est, reclamamus et tam de persona ipse, quam de ipsis locis ante omnia volumus revestiri. » Nos vero, quibus tota res nota erat, iuxta puritatem conscientie nostre et testimonium Rothomagensis ecclesie quod presens erat, abbati Willelmo respondimus : « ecclesiam Mortuimaris nec habuistis nec possedistis unquam nec de nostra vel regia manu suscepistis. Sed neque de ecclesia Bellimontis quamvis forte per monachos vestros, quod plerumque fieri solet, edificari ceperit, aliquando fuistis investitus, sane cum uterque locus nostris temporibus edificatus sit, et ad nostram diocesim singulariter pertineat, de quibus nimirum nemo nisi per nostram manum possit aut debeat investiri. Preterea quando ad ecclesiam Bellimontis Alexandrum abbatem consecravimus, de manu vestra in manu nostra liberum et absolutum reddidistis, adeo, frater, ut te presente, te laudante, omnem obedientiam nobis promiserit, professionem fecerit, scriptamque et propria manu super altare sancte Marie positam nobis reddiderit. Ex tunc non monachus tuus sed noster omnino est, et quicumque sub eo professi sunt. Tu vero, frater Willelme, cum hoc audires et Alexandrum presentem videres, requisisti testimonium prefati Alexandri ut quod ipse diceret tu teneres. » Alexander respondit : « Quia tu revera meipsum in manu archiepiscopi reddidisti liberum et, te presente, liberam ei professionem scripto et verbo iuxta morem ecclesiasticum feci, hoc solum tibi in ecclesia Bellimontis a nobis concessum est ut ad modum Cluniacensis et Radingensis ecclesie in capitulo fratris non possidentis more

sedeas, et si monitus fueris capitulum teneas et ecclesie Pinus et Bellimontis orationem inter se communicent et decedentium fratrum obitus et obsequia annuatim et communiter observent. Verumtamen in ecclesia Mortuimaris nichil a nobis penitus tibi vel ecclesie tue concessum est. Si quid de his que dixerim forte negaveris, profero me canonice probaturum. » De his nichil ab eo penitus refragatum est, quamvis cum rem verborum fecisse non negaret, sola tamen verba liberum videlicet et absolutum se negaverit protulisse. Ceterum societatis cartam Cluniacensis seu Radingensis monasterii cuius exemplar me legente inpresentiarum audierat, iterum recitanda protulimus. Cui cum nollet acquiescere, si bullatam non videret, duo proposuimus, aut exemplar probare si ita acquiesceret, aut si melius ire vellet Radingiam, litteras nostras et sigillum dare pro repetenda sub sigillo et testimonio ecclesie Radingensis et deferenda carta. Renuit plane et probationem et litteras nostras. Ire sequidem Radingiam penitus recusavit, nisi prius de abbate Alexandro et supradictis reinvestiretur ecclesiis. Posita est res in iudicio. Iudices cum in partem exissent, miserunt Willelmo abbati domnum Serlonem, abbatem sancti Audoeni, et duos archidiaconos, Osmundum et Rogerum, persuadentes ut habito cum suis consilio adderet cause sue si quid haberet. Ille nichil addidit. Nichil de his que me probaturum protuleram contradixit. Ita tandem ratiocinationibus inter alterutrum discussis, sententia data est. Siquidem decretum est et dictum a iudicibus de reinvestitura Mortuimaris perfunctorie esse decisum, quam constabat numquam Willelmi abbatis fuisse, cum nulla canonica probatione monstraret se vel diceret de nostra manu, sed neque de regio dono fuisse aliquatenus investitum. De cetero reinvestituram Bellimontis non ante faciendam quam testimonium ipsius carte que conditionem ipsam continet ipse proferret in medium. His auditis, abbas Willelmus nec iudicium contradixit nec iudices appellavit. Huius actionis testes subscripti sunt qui presentes fuerunt : G. abbas Sancti Wandregisili, S. abbas Sancti Audoeni, F. abbas de Sancti Michaelis, Ioscelinus abbas Sancte Marie Augensis, H. abbas de Longoponte, p. abbas de Prato, archidiaconi Robertus, Fulbertus, Rogerus, Osmundus, Gaufridus.